

edron, Tetragonoedrum quàm Trigonoedrum. 9. Atq; id etiam inde colligi potest, quòd perfectum vbique primum, pòst, id, quòd deficit, demum, quòd excedit. Cum igitur Senarius facierum numerus perfectus sit, sequitur pyramidem, quæ deficit, non quidem præcedere debere cubum, at immediatè sequi.

Habemus cur inter Iouem & Martem secundo loco sit pyramis. Suprà in suspensio fuit, quòd corpus tertio loco sit inter Martem & terram. Illud verò hic facilè deciditur. Cum enim è primarijs residuum sit Dodecaedrum, erit illud ordine tertium, inter Martem & terram: de cuius proprietatibus quid sentiendum sit, collatione cum prioribus facta, facilè patebit.

CAPVT VII.

De secundariorum ordine & proprietatibus.

SECUNDARIA quod attinet, cum Octaedron sit prius Icosaedro, mirum alicui videri possit, cur quòd ordine Naturæ posterius est, in mundo præcedat? Nam quia Mars Dodecaedron sortitus est cum Tellure, sequitur ex ijs quæ diximus, inter Tellurem & Venerem interesse Icosaedron. Et prius esse Octaedron Icosaedro multa probant. Primum enim Octaedron natum est (non verè quidem, sed ita quasi natum sit) ex Cubo & pyramide primis in suo ordine: quorum illius numerum laterum, huius basin triangulam mutuatur. Icosaedron verò à pyramide, & Dodecaedro postremis in suo ordine nascitur. Rursum enim ex illa basin, ex hoc numerum laterum mutuatur. 2. Octaedron & Icosaedron si ex angulis aspicias, illud cubi basin quadratam ostentat, hoc Dodecaedri quinquangulam. 3. Octaedrum cubo æquealtum est, vt videbimus, & Icosaedron Dodecaedro. 4. Octaedron cum cubo, Icosaedron cum Dodecaedro permutant numerum basium & angulorū. Nam Cubi bases & Octaedri anguli sunt sex, illius anguli & huius bases octo. Sic Dodecaedri bases & Icosaedri anguli sunt vtrinque duodecim: vicissim illius anguli & huius bases sunt viginti. 5. Octaedron Cubi rectum angulum imitatur, Icosaedron Dodecaedri

E obtu.